

23
Pri. 8. num.

1773. 21.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
EVICTIO PRAESTANDA
EVICTA SERVITVTE

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVSEVRGENS.

S O C I O

DIE XXIII. DEC. ANNO CCCCCCLXXXIII.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS AVGUSTVS KRIEG

LEV-COPETRENS.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .




...8.68

17.11.1819
REUTERHOFF ZIRKUS

AGRAZIUS

REUTERHOFF ZIRKUS

REUTERHOFF ZIRKUS



22
2



A N
EVICTIO PRAESTANDA
EVICTA SERVITVTE

§. I.

Euictionis vox non tantum obuenit, si corporales res ab altero vindicantur, verum et in iuribus et reliquis rebus incorporalibus euictionis causa tractatur. Potest enim non solum euictionem pati is, cui fundus, seruus vel alia res corporalis, quam se posidere posse iuste credebat, auferebatur, et propterea euictionis praestationem a suo autore, a quo rem accepit habendam possidendum, petere, sed nihil obstat, quominus et is, cui ius aliquod competit, quodue se exercere posse credit, idque dein vel negatur vel eripitur, pariter a suo autore euictionis praestationem postulet, et recte quidem, quia et incorporalium rerum translatio oneroso fieri titulo potest, ut is, qui ius aliquod acquisiuerait prius, si postea eo vti iure non possit, damnum patiatur, quod ei imputandum, qui ius in alterum transculit, et cuius damni restitutionem recte expectat a suo autore.

A 2

Causam



Causam ex seruitutum exemplo monstrabimus. Seruitutes non minus ac aliae res, quae patrimonium priuati constituunt, titulo oneroso in aliud transferri possunt: et tria maxime capita obueniunt, in quibus euictionis ratio habenda est, quae singula videamus.

§. II.

Prima species est, si Titius in fundo mihi seruitutem aliquam constituerat, in quo fundo Titio constituendi ius non erat, postea negatur seruitus mihi, et fundus liber ab omni seruitute pronunciatur: quaerendum est, an ab ipso Titio, cui prius negatoria actionem institutam denunciaueram, euictionem praestandam postulare possim. Et recte me ab Titio illo autore meo euictione postulata damni restitutionem exigere posse, suadet AFRICANVS in L. 46. §. 1. π. de euict. Ait: *Si per alienum fundum mihi viam constitueris: euictionis nomine te obligari, ait. etenim, quo casu si per proprium constituentis fundum concessa esset via, recte constitueretur: eo casu, si per alienum concederetur, euictionis obligationem contrahit.* Verba Africani adeo generalia concepta adffirmant autorem constitutae seruitutis teneri, siue in proprio fundo, siue in alieno constituerit, si postea euincatur, seu, si negetur, recte constitutam esse seruitutem eamque dominantem habere posse. Et simile thema in animo habuisse videtur CELSVS in L. 10. π. de euict. Scribit: *Si quis per fundum, quem cum alio communem haberet, quasi solus dominus eius esset, ius eundi, agendi mihi vendiderit et cesserit: tenebitur mihi euictionis nomine (scil. si postea ea seruitus euincatur mihi que negetur) caeteris non cedentibus.* Vel enim, si reliqui condomini cesserint simul seruitutem, quo casu euinci vix potuisset seruitus, vel si euicta nihilominus ab alio esset, qui forsan fundum illum communem euicisset, cum illi socii tantum bonae fidei possessores fuerint, non ille solum tenebitur praestare euictionem, qui seruitutem mihi vendidit, sed omnes, qui communem habebant fundum et simul seruitutem constitui consensu passi sunt, tenentur de euictione.

§. III.

§. III.

Haec vero vera sunt, si socii fundum simul possident, vnuisque reliquis consentientibus fundo communi seruitutem imposuerit, et tenentur omnes socii. At si fundum regionibus diaisum possident socii, vnuus vero sociorum fundum imposta seruitute onerauerit, et quidem in ea fundi parte, quam diuisione facta possidet, an solus teneatur de euictione, si postea seruitus ei negetur, cui constituta fuerat. Posset quidem dici, distinguendum esse, an diuisio tantum, quo ad vsumfructum perciplendum facta, an ipsum dominium fundi ex regionibus illius diuisionis obiectum fuerit. Sed nihil hic haec distinctio efficere potest. Nam vtroque casu solus constitutens tenebitur euictionem praestare, si ipsa postea seruitus negetur, idque autoritate C E L S I in c. l. 10. Licet enim ea pars fundi, in qua seruitus constituta, non amplius sit communis fundi pars, sed fundus totus ex L. 6. §. 1. com. praecl. et L. 13. §. 1. ff. De seruit. praecl. rust. et sic ex Celsi causa de euictione non teneatur, tamen quia in suo fundo non recte constituerat seruitutem, vt euinci posset, de ea constituens tenebitur.

§. IV.

Bluensa est ea species, qua quis alteri fundum vendit, facta vero venditione tertius sibi in eo fundo seruitutem adserit, quam emtor in fundo esse ignorauerat, an euictionis loco teneatur vendor, quanti minoris fundus fuerit, quod seruitute oneratus sit, quantumque haud soluturus fuisset pretium, si impositam sciuisset seruitutem. Si in contractu venditivendor fundum O P T V M V M MAXIMVM promisit, et postea seruitutem sibi aliis adseruit, eamque obtinuit, dubitare non possumus, quin de euictione teneatur. Concludo id ex verbis NERATII in L. 48. π. de euict. Ait: Cum fundus VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, emptus est; et alius seruitutis euictae nomine ALIQUID EMTOR a venditore CONSECVTVS est. caet. De Seruitute personali c. A I V S in L. 49. π. de euict. Scribit: Si ab autore ususfructus petatur: proinde is venditor



tori denunciare debet, atque is, a quo pars petitur. Denunciatio autem ideo fieri debet, ut postea de euictione emtor agere possit.

§. V.

At quid! si fundum vendiderit, non vero seruitutem fundo impositam esse dixerit, neque tamen fundum optimum maximum promiserit, an, si postea seruitus a tertio in eo fundo afferatur et vindicetur, emtor contra venditorem agere possit de euicta seruitute. Si C E L S U M in L. 59. fl. contrah. emt. audiamus, vix de euictione teneri posse venditorem statuendum. Ait enim: *Cum venderes fundum, non dixisti, ITA VTI O P T I M U S M A X I M U S Q U E: verum est, quod Quinto Mucio placebat, non liberum, sed qualis esset, fundum praestari oportere. Idem et in urbanis praediis dicendum.* Concludo ergo, si fundus hac specie talis praestandus, qualis est, cum optimus maximus promissus non sit, neque ob id, quod optimus maximus non sit, emtor ius agendi competit, sequitur de euictione seruitus venditorem non teneri. Neque dubitandum est, quin hoc eo magis statuendum, cum venditor in contrahenda venditione sese declarauerit, se nolle teneri, si forsan onus impositum euincatur in fundo. Rem omnem exactius explicat VEN VLEIVS in L. 75. π. de euict. Quod ad seruitutes, inquit, praediorum attinet, si tacitae secutae sunt, et vindicentur ab alio; Quintus Mucius et Sabinus existimant, venditorem ob euictionem teneri non posse. Nec enim euictionis nomine quemquam teneri in eo iure, quod tacite soleat accedere, nisi VT O P T I M U S M A X I M U S Q U E E S S E T, traditus fuerit fundus. tunc enim liberum ab omni seruitute praestandum.

§. VI.

Contra vero, si fundus vendatur, non quidem, ut optimus maximus, sed ita tamen, ut emtor cum venditore pacificatur, ne certa aliqua seruitus v. c. via in eo fundo sit, licet alia in eo fundo esse possit, postea vero contingat, ut haec ipsa seruitus, quam in fundo haud existere debere paci erant inter se emtor et venditor; nihilominus ad sit; quaeri potest, an teneatur venditor de euicta hac ex fundo seruitute,

tute. Licet quidem ex iis, quae antea dicta sunt, cum optimus maximusque haud promissus sit fundus, aduersus venditorem agendi ius non sit, tamen cum pacta legem negotiis, et sicut ne praestetur euictio inter partes conueniri possit, dubitandum non est, quin, de ea praestanda si pacti sint contrahentes, recte tunc exigi possit euictionis praestatio. Evidem videtur obstatre autoritas Rescripti SEVERI et ANTONINI in L. 2. C. de euict. Verba sunt: *Nudo autem pacto interueniente minime donatorem hac adiunctione (sc. de euictione) teneri, certum est.* Patet enim ex verbis: nudo pacto, Imperatores respexisse ad illud ius, quo ex pacto nudo romanis actio prodita non erat. Quare in prima parte rescripti, cum auus in donatione, in qua alias euictio nulla est, de euictione cauerat, cautioni illi de euictione, quae per stipulationem facta, vis omnino tribuitur. At hodie, qui nullam habemus stipulandi necessitatem, quibusue pacti eadem vis est, quae fuerat Romanorum stipulationi, tuto afirmamus, de euictione teneri, quod eo rectius est, si paclum venditioni in continentia adiectum, cui nec romano iure actio deneganda erat.

§. VII.

At si fundus venditus, atque a venditore optimus maximusque promissus sit, si postea contingat, ut adfini in eo fundo ab ipso iudice seruitus constituantur, an venditor ab emtore fundi de constituta seruitute conueniri possit. Scimus licere iudici, quoties alter suae rei vsu absque seruitute alterius fundi imposta carere debet, ei fundo alterius seruitutem imponere, quam rem exposuit CRELLIVS diss. de seruitute necessaria compendii causa praed. vicin. imposta. Si ergo hoc demus, et ea seruitute imposta fundus ille venditus desinat esse optimus, non videtur emtori praestitisse venditor, quod promiserat. Sed salua res est. Erat enim fñodus optimus maximus, cum venderetur et traderetur, et haec erat venditoris obligatio. De eo vero, quod postea contingit, cuiusue culpa vendito-



venditori tribui nequit, nec venditor teneri potest. Licet ergo a iudice in eo fundo optimo maximo seruitus constituta sit, tamen venditor emtori non tenebitur. Neque necesse hoc erit, quippe indemnem fundi possessorem is constituere debet, cui a iudice seruitus constituta fuit.

§. VIII.

Sed iam superest, ut determinemus, si de euicta in fundo vendito agat emtor contra venditorem, qui vel fundum optimum maximum vendiderat, vel euictionem in eam causam promiserat, quod praestandum sit, et ad quid contemnari possit. Videtur hanc quaestionem in animo habuisse DOMITIVS VLFIANVS in L. 61. π. de aedilit edidit. Nam scribit: *Quotiens de seruitute agitur; vietus tantum debet praefare, quanti minoris emisset emtor, si scisset, hanc seruitutem impositam.* Quare si quingentis fundis emtus fuisset tanquam optimus maximus, qui seruitute imposita vix CCCCLX emeretur, facile patet emtorem de euicta seruitute agenti quanti minoris, a suo venditore XL. esse praefanda. Tanti enim minoris emturus fuisset fundum, si, quem, cum emeret optimum maximumque, a venditore acceperat sciuisse, seruitutem iam impositam fuisse. Sic si fundus emtus, alias postea in eo vsum fructuum vindicet, teste PAVLO in L. 15. §. 1. π. de euict. pro bonitate fructuum aestimatio facienda est.



ULB Halle
004 758 501

3



SB

V0
18



Pr. S. num.
1773, 21.

**Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
E V I C T I O P R A E S T A N D A
E V I C T A S E R V I T V T E**
**Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E**
**D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E V R G E N S.
S O C I O
D I E X X I I I. D E C. A N N O C I I I I C C C L X X I I I.
D E F E N D E T
C H R I S T I A N V S A V G V S T V S K R I E G
L E V C O P E T R E N S.**

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

